



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De laude Dei deuotione. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

744 DE RECOGNITIONE PROPRIÆ FRAGILITATIS.
ctis affligi; quam postea cum malis æterno igne cruciari. Esto
ergo seuerus iudex in propria causa; vt Deus tibi indulgeat vniuersa mala commissa. Dei enim es creatura, etiam cum peccas; ideoque correctioni eius te humiliter submitte, vt veniam consequaris & salutem. Nam salus iustorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

Psalm. 36.

C A P V T V I I I .

De laude Dei ex deuotione.

Psalm. 148.

1. OMnes sancti, omnes fideles, & omnes creature Deum laudare tenentur; quia exaltatum est nomen eius super omnes. Qui Deum laudant, laudabiles erunt: qui vero Deum non laudant, confusione sunt digni, & omni honore priuandi. Honorabile seruitium est & delectabile officium, corde & voce Deum laudare, & sancta vita glorificare. Si Deum laudas, facis quod debes, & ad quod creatus es. Si Deum non laudas, ingratus es, & peccas, luesque ingratitude tuæ poenas acerbas. Angelorum opus est, & Sanctorum omnium gaudium singulare, Deum ac creatorem suum incessabili mentis affectu laudare, benedicere, & glorificare. Imitantur autem eos, qui diuino officio libenter intersunt, & in ecclesia Dei deuotè orant, aut in choro debitis horis alacriter psallunt.

Laudate
indefinenter
Dominum,
opus est
angelorum
& Sanctorum
omnium.

2. Nunquam à laude Dei & gratiis cessandum est, quia Deus nunquam benefacere cessat, nec communem gratiam cunctis influere tardat. Ipse namque singulorum curam gerit, paratus tibi ampliora dona largiri: si viderit in minimis te fidelem, & ad regratiandum esse feruentem. Ad quid accepisti os & linguam, nisi vt Deo referas laudem, gloriam, & honorem? Si tu alicui benefacis, aut in melius prouehis; nonne egrè capis, si gratias non rependis? Quapropter diuinis instat laudibus, & in canore iubilo Deum lauda cum omnibus creaturis; ne contra te testimonium ferant & clament, quòd ipsis Deum benedicentibus & ad nutum obedientibus, tu tacuisti à gratiarum actione & laude diuina. Ad excitandum ergo mentem tuam in Dei nominis laudem, lege, dum vacat, orationem hanc subsequentem, si placet.

Oratio, ad laudandum Deum feruenter.

1. DEus meus, laus mea, & gloria mea: cupio te laudare tam excelsa voce, & tam deuota mente: sicut vnquam laudatus es ab aliqua creatura, in cælo & in terra. Desidero te honorificare tam magno & digno honore, sicut vnquam honorificatus es ab aliquo Sancto, in regno tuo caelesti. Opto te venerari & amare, tam ardenti affectu & amoroso corde, sicut aliquis deuotus

uotus